

virginitatem, cæterasque virtutes sibi a Deo inditas ad tantam dignitatem fuisse dispositam et congrue ornatam. Humilis enim suam vilitatem, miseriam, paupertatem, imo suum nihilum agnoscit, ac totum quod est et habet, adscribit Deo, cuius est, dicitque cum psal. : *Non nobis, Domine, non nobis ; Sed nomini tuo da gloriam* ; pl. cxiii; et cum Paulo : *Qui gloriatur in Domino gloriatur*. II Cor. ii.

Audi S. Augustinum, serm. 2 de *Assumpt.* « O vera humilitas, quæ Deum humiliibus peperit, vitam mortalibus edidit, cœlos innovavit, mundum purificavit, paradisum aperuit et hominum animas liberavit ! Facta est Mariæ humilitas scala cœlestis per quam Deus descendit ad terras ? quid enim est dicere, respexit, nisi approbavit ! Multi enim videntur in conspectu hominum humiles esse sed eorum humilitas a Domino non respicitur. Si enim veraciter humiles essent, deinde ab hominibus non se laudare vellent non in hoc mundo, sed in Deo spiritus eorum exultaret. »

Nam, ut ait S. Basilius, in *Const. monast.* cap. xvii : « Humilitas est tutissimus virtutum omnium thesaurus, radix et fundamentum. » Et S. Chrysostomus, hom. 2, in Ps. i : « Sacrificium maximum est humilitas ; qui enim peccando se Deo subducit, idem se per humilitatem subjicit cum convertitur ad poenitentiam. »

Denique S. Bernardus : « Est humilitas, ait, quam nobis veritas parit, et non habet calorem ; et est humilitas quam charitas format et inflamat. Hæc in affectu, illa in cognitione consistit ; priore cognoscimus quam nihil sumus, et hanc discimus a nobis ipsis et ab infirmitate propria ; posteriore calcamus glo-

riam mundi, et hanc ab illo discimus, qui exinanivit semetipsum, etc., qui queſitus ad regnum fugit, queſitus ad opprobria, etc., ad crucem non fugit, sed sponte se obtulit. »

Utramque in heroico et eminenti gradu habuit B. Virgo :

17º PRÆDICIT SE AB OMNIBUS SÆCULIS BEATAM
PRÆDICANDAM ET INVOCANDAM.

Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. (Luc. i, 48). — *Omnes generationes : Omnes attates, omnia sæcula, omnes fideles futuri.*

XVI
37
2

Audi Hugonem cardinalem : « Omnes generationes, inquit, id est omnes gentes, scilicet Judæorum et gentilium, virorum et mulierum, divitum et pauperum, angelorum et hominum, quia omnes per ipsam salutare beneficium acceperunt, homines reconciliationem, angeli reparationem. Christus enim Dei filius operatus est salutem in medio terræ, id est in utero Mariæ, quæ quadam mirabili proprietate terræ medium appellatur. Ad illum enim respiciunt, ut Bernardus inquit, et qui habitant in caelo, et qui habitant in inferno, id est in purgatorio, et qui habitant in mundo : primi, ut resarciantur ; secundi, ut eripiantur ; tertii, ut reconcilientur. »

Causam deinde assignans subjicit : « Ex hoc ergo beatam te dicent omnes generationes, o beata Virgo, quia omnibus generationibus vitam, gratiam et gloriam genuisti : mortuis vitam, peccatoribus gratiam, miseris gloriam ; ideo dicitur Judith xv, 10 : *Tu gloria Jerusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri, quia fecisti viriliter* : primum est vox

angelorum, quorum ruina per ipsam reparata est; secundum est vox hominum, quorum tristitia per eam laetificata est; tertium est vox mulierum, quarum infamia per ipsam delata est; quartum est vox mortuorum, quorum captivitas per eam reducta est. »

Sic et Albertus magnus hic: « Prophetat hic Virgo se ab omnibus saeculis beatam praedicandam, celebrandam et invocandam. Prophetiae hujus veritas ex eventu clara est. Videmus enim B. Virginem ab omnibus nationibus et saeculis, tot sacellis, templis, festis, congregationibus, religionibus, votis, supplicationibus, litanis, etc., coli et celebrari, quot coeteri sancti simul juncti non obtinent; imo soli B. Virgini tribui cultum hyperduliae, sicut Deo cultum latriae; coeteris vero sanctis cultum duliae. Te ergo o Deipara virgo, beatam praedicabunt omnes generationes. Tuam sanctitatem, tuam virginitatem, tuam humilitatem, tuam maternitatem celebrarunt, celebrant et celebraebunt omnes omnium temporum christiani: Vivit tuum deus, tua laus, tua gloria, quandiu vivent angeli, quandiu vivent homines, quandiu vivet Christus, quandiu Deus erit Deus, in omnia saeculorum saecula. »

18º FUIT PROPHETISSA VERE.

XI
211
2

Et accessi ad prophetissam, et concepit. (Isa. viii, 3.)
—Dico cum patribus et doctoribus jam citatis (S. Hieronymo, Cyrillo, Basilio, R. Haccados, Procopio, Ruperto, etc.) prophetissam hanc (Isai. viii, 3) esse B. Virginem Deiparam, quae non tantum prophetissa fuit, eo quod esset sanctissima et religiosissima, Dei

laudibus in totum addicta, educataque in templo apud virgines Deo consecratas; sed et proprie, quia futura praedixit, uti in suo hymno *Magnificat* praedixit illud: *Beatum me dicent omnes generationes: quod etiam hodie ubique impleri et verificari cernimus.*

Secundo, fuit prophetissa, quia genuit summum orbis prophetam scilicet Christum.

Tertio, quia in ea peractum est magnum illud pietatis sacramentum, scilicet ut virgo conceperet et pareret nobis Emmanuel, ut dixi cap. praecedenti; eo enim alludit. Prophetare enim in scriptura subinde significat miracula facere, uti dixi in proemio. Maximum autem miraculum et portentum fuit Verbum in virgine caro factum. Prophetavit ergo B. Virgo, dum concepit et peperit nobis Deum, eumque sua carne induit et corporavit.

Sensus ergo (prophetiae) est: in visione ostensa est mihi prophetissa augusta Virgo Maria, indicatumque est mihi ut ad eam accederem; illam enim explicaturam mihi quid esset illud quod audieram vers. 4: *Scribe: velociter spolia detrahe, cito prædare.* Venerabundus ergo eam adii, salutavi et vidi illam per obumbrationem Spiritus sancti concipere et parere Emmanuel cui jussus sum dare nomen illud quod audieram, v. 1: *Velociter spolia detrahe, cito prædare;* in eoque completam et explicatam meam visionem vidi et intellexi.

19º QUID APUD ELISABETHAM EGERIT.

Mansit autem Maria cum illa, etc. (Luc. i, 56) manus, serviens Elisabeth cognatæ suæ jam partui vici-

XVI
42
2

næ, eamque suis sanctis obsequiis et alloquiis recreans, et magis sanctificans, æque ac Joannem ventre ejus contentum.

Ita S. Ambrosius : « Non sola, inquit, familiaritatis est causa, quod diu mansit, sed etiam tanti vatis profectus. Nam si primo ingressu tantus profectus extitit, ut ad salutationem Mariae exultaret infans in utero et impleretur Spiritu sancto mater infantis : « quantum putamus, usu tanti temporis S. Mariæ addidisse præsentiam ! »

Sic et Origenes hic, homil. 9, docet per hos tres menses, tam Joannem quam Elisabetham, ex præsentia Virginis mire in sanctitate profecisse : « Exercebatur ergo, inquit, et quasi in athletico sancta matre (ut mater Joannis esset quasi agon et locus certaminis athletici) per tres menses ungebatur Joannes, et præparabatur in matris utero, ut mirabiliter natus mirabilius nutriretur. » Non enim hic lactationis, aut nutricum et gerularum ejus ulla fit mentio, sed tantum dicitur : *Et erat in deserto usque ad diem ostensionis suæ ad Israel.* » Hæc Origenes.

20^o AN S. JOANNIS NATIVITATI ADFUERIT.

xvi
42
2

Quasi mensibus tribus. (Luc. i, 56) — Quæritur an B. Virgo manserit usque ad partum et nativitatem Joannis, illique interfuerit. Negant Theophylactus, Euthymius, Jansenius.

Probant *primo*, quia B. Virgo venit mense sexto, et mansit quasi mensibus tribus ; ergo discessit ante nonum mensem initum, ac proinde ante partum Elisabethæ ; *secundo*, quia post discessum Virginis narrat Lucas partum Elisabethæ, atque in eo nullam

Virginis facit mentionem ; *tertio* et maxime, quia castissimam virginem partui interesse non decebat ; *quarto* quia conveniebat ut turbam in partu affluxaram effugeret.

Contrarium tamen æque est probabile, imo probabilius, idque plures sentiunt, scilicet Origenes, S. Ambrosius, Beda, Maldonatus, Toletus, Franciscus Lucas. Probatur *primo*, quia incivile fuisse usque ad partum manere, et immediate ante partum discedere ; *secundo*, quia in partu maxime Virginis præsentia, ope et consolatione egebat Elisabetha ; *tertio*, quia virgo ad hoc mansit tres menses, ut Joannem orbis miraculum et Christi sui præcursorum cerneret, amplecteretur et benediceret, ac vicissim ut Joannes jam natus matrem Domini et in ea Christum Domini cerneret, salutaret et veneraretur. Unde Beda : « Tandiu, ait, mansit Maria, donec Elisabeth, partus tempore completo, præcursoris Domini sui, propter quem maxime venerat, nativitatem videret. »

Ad *primum* respondeo, τὸ *quasi* significare hic non divinationem, sed augmēntum, q. d. Mansit circiter per tres menses, et paulo amplius. Adde potuisse nasci Joannem in fine trium mensium ; multa enim proles nascentur nono mense needum expleto.

Ad *secundum*, Lucas prius voluit pertexere totam historiam visitationis B. Virginis, deinde nativitatem Joannis et ordine recensere, ne unam rem cum alia confunderet.

Ad *tertium*. B. Virgo ipsa hora partus se subduxit in cubiculum, ovans pro felici partu : partus autem curam permisit obstetricibus, ad quas illa pertinebat ; hoc enim, vel simile, decorum eam servasse par est credere.

Ad quartum, turbo affluentium parva fuit, et si magna fuisset, majorem fecisset Virgo fructum, pluribus annuntiando præcursorum Christi jam esse natum, aliquis suis piis sermonibus.

21º COGNATÆ SUÆ PRECIBUS SUIS FELICEM PARTUM
IMPETRAVIT.

(Vide verba : ELISABETH, et JOANNES BAPTISTA in *Memoriâlē prædicatorum.*)

XI

MARIÆ EX UTERO NATIVITAS CHISTI.

1º AN MARIA PRÆGNANS PEDE E NAZARÆTH IVERIT
BETHLEEM.

Ascendit in Bethleem. (Luc. ii, 4.)—Bethleem, quæ ultra Jerusalem sita erat, ab eaque distabat itinere duarum horarum. Quare a Nazareth in Bethleem iter erat tridui et amplius, quod B. Virgo, prægnans et partu proxima, confecit pede, ut multi pie sentiunt. « Ascendit, ait S. Bernardus serm. in illud Apoc. : *Signum magnum apparuit in cœlo, in Bethleem immidente jam partu, portans pretiosissimum illud depositum, portans onus leve, portans a quo portabatur.* » Et paulo post : « Sola sine corruptione concepit, sine gravamine tulit, sine dolore filium parturivit. »

2º PEPERIT NATURALITER, PERACTA NATURALI
TEMPORIS AD PARIENDUM USITATI PERIODO.

Factum est autem cum esset ibi, impleti sunt dies ut pareret. (Luc. ii, 6.) — Scilicet novem menses a conceptu. Peperit enim non ex lassitudine itineris, sed naturaliter, peracta naturalis conceptionis temporis que ad pariendum usitati periodo. Quare cum Christus conceptus sit die 25 martii, sequitur eum natum esse die 25 decembris; inter utrumque enim intercedunt novem menses.

Nota : Christus natus est paulo post solstictium